Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2287

Quelle:
Copyright:

quodam Judeo florencie, vt asseritur, sellemniter et publice baptisato, qui successu temporis diabolico spiritu agitatus tandem veniens Patauiam se compunctum et penitentia ductum super assumpto christianitatis titulo palam proclamauit, et super hoc coram seculari Judice penam ignis huiusmodi apostatis debitam iterum atque iterum sibi inferri postulauit, qui et tandem, vt eius efficacius probaretur spiritus — carceribus extitit deputatus, in quo sathanico spiritu ad peiora persuasus est, vt et ferro sibi letale vulnus infligeret — quibus perperam perpetratis nescitur quali penitudine ductus se asserit iam cyrurgicorum cura alleuiatus penitere et pretextu cuiusdam visionis sibi per quandam astantem facta feminam velle in antea in Christi fide firmiter perseuerare &c. Tria ad haec respondet *Haselbachius: Primum. Iste lapsus pro presenti non est puniendus extremo supplicio, aut in hoc relinquendus brachio seculari ad ipsum distringendum mutilatione membrorum, aut aliqua simili pena corporali. Secundum — ad tempus notabile caucius conseruandus est sub inclusione carcerali. Tertium hoc interuallo currente varijs modis in bonitate et asperitate probandus est, ut sic vexatus de suo proposito innotescat et intentione finali.* Singula suis rationibus fusius edisseruntur. Notabile, quod ait: *Loquor non tanquam ignarus harum rerum, dum enim talium Neophitorum alias perfunctoria probatio seruata, imo verius neglecta extitisset, non paucos huius secte etiam post baptisma sollemniter susceptum ad pristinam perfidiam vidimus reuerti, et hodie domino Imperatori per me ex nomine designati, precipue Israel eorum magnus Rabi, resident in Noua ciuitate* (Neustadt) *quieti.* Episcopus supra dictus sedit inter annos 1451 — 79.

X. *fol.* 242. Ejusdem Opusculum constans X. Capitibus inscriptum *Uenerabili patri Domino Nicolao preposito Monasterij sancte Dorothee Ord. S. Aug. Can. Reg. eo,* ut ait, *caritatis glutino, quo olim in iuuentute multa familiaritate studendo pariter conuersati fuimus.* Conquestus erat *Nicolaus* de quodam Laico, *qui sibi sciolus uidetur et sapiens*, quique illi et alteri cuidam Abbati exprobraverat, *quod in* eorum *Monasteriis et locis vinum proprijs stipendijs excultum venditur ad ducillum.* Itaque *Thomas* noster proprio hoc Tractatu probandum sumit, *non repugnare clericorum ordini. nec beneficiatorum, curatorum aut prelatorum dignitati, neque quorumcumque sacerdotum proprietatem in communi vel in speciali temporalium rerum iuste habentium officio aut statui, ea que de suis fructibus tam in aridis quam in liquidis supersunt, per se vel suos simul, per ministros uero secundum partes ad mensuram pro iusto precio vendere, neque ex hoc mercatores dicendos, aut vt tales de ecclesia proiciendos, aut alia pena percellendos esse.* Latius tamen paullo, ut solet, expatiatur; deque